

tiva, tum etiam naturalia, quæ impleri non possent absque gravi pusillorum scandalo, in hac occurrentia probabilius non obligant, saltem in multis casibus qui gravi iudicio pensandi sunt. Ita multi apud *S. Lig.*, l. 2, n. 51. Sic sacra communio est de præcepto divino in articulo mortis et tamen quandoque omitti potest propter scandalum; v. g., non deferretur in lupanar ad meretricem vere pœnitentem: depositum ex jure naturali tempore fixo reddi debet, et nihilominus ejus restitutio differri potest, si gravis ejus prævideatur abusus, etc.

6^o Bona temporalia quorum non sumus domini, sed tantum administratores, qualia sunt bona ecclesiarum, hospitorum, pupillorum, dimitti non possunt ad vitandum scandalum etiam pusillorum, quia non habemus potestatem dominium eorum ad alios transferendi. Monent tamen sapientes auctores exactionem eorum differendam esse donec instruantur debitores de obligatione sua, et si, facta monitione, scandalum adhuc perseveret, procurandum esse assensum Ecclesiæ, si de bonis ecclesiasticis agatur, ut debitum ex parte vel ex toto remittatur.

7^o Si bona propria obtineri aut servari non possint sine pusillorum scandalo, aut totaliter dimittenda sunt, aut aliter sedandum est scandalum, scilicet per aliquam monitionem, ut ait *S. Th.* 2 2, q. 43, art. 8; facta autem monitione de veritate justitiæ, scandalum evadit pharisæicum, et de illo non amplius curandum est. Imo *Sanchez*, *Sporer*, *Suarez* et alii plures dicunt nunquam esse obligationem gravem patiendi magnam jacturam in bonis propriis, ne proximus patiat scandalum etiam ex infirmitate, quia charitas erga proximum non obligat cum tanto incommodo. Vide *S. Ligorium*, l. 2, n. 52.

Queritur an herus vel domina aliquid ponere possit furandum filiis vel famulis, ut probitatem eorum cognoscat, et maritus occasionem adulterandi uxori ut fidelitas ejus probetur.

R. 1^o. Communiter docent theologi licitum esse occasionem jam existentem non auferre, et observare quid adventurum sit, ut peccantesprehendantur, puniantur

et resipiscant; nam tunc unum rationabiliter permittitur peccatum ut plura impediatur, vel ut innocens a damno servetur. Sic *P. Antoine*, *Tournely*, *Dens*, *S. Ligorius*, etc.

R. 2^o. Probabiliter non licet occasionem de industria ponere ad probitatem aut infidelitatem eorum tentandam, quia esset positiva inductio ad peccatum. Sic iidem theologi et alii non pauci. Non tamen desunt qui contrarium teneant ut probabile, et confirmare nitantur exemplo *Judith*, quæ suis ornamentis tentavit cor *Holophernis*, ut eum libidine captum occideret sicque populum suum liberaret. Ita *Layman*, *Bonacina*, *Viva*, *Busenbaum*, *Collet*, et alii plures apud *S. Ligorium*, l. 2, n. 58, dicentes *Judith* in ea occasione non peccasse, quia ex gravi causa licet facere actionem in se bonam qua alter prævidetur ex malitia sua abusurus.

Vide ea quæ diximus in *Tractatu de Actibus humanis*, de cooperatione ad aliorum peccata.

Quid faciendum est ad reparandum scandalum.

1^o Cessandum est a dicto vel facto occasionem ruinæ præbente: ratio patet.

2^o Meliori quo fieri potest modo retractari debent consilia iniqua, malæ suasiones et alia hujusmodi, ac manifestanda est displicentia de perverso exemplo aliis præstito. Insuper curandum est ut hujusmodi retractatio et displicentia manifestatio iis omnibus innotescat qui ad malum fuerunt inducti vel deinceps induci possent. Unde qui, v. g., per scripta obscena, hæretica, impia, diffamatoria alios incitavit ad peccata, hæc per nova scripta quantum poterit retractare tenebitur; qui leges divinas aut ecclesiasticas publice violavit, easdem nunc publice servare debet; et nisi hoc faciat, ad sacramenta admitti non potest.

ARTICULUS QUARTUS.

DE RELIGIONE.

Religio est virtus moralis, nos inclinans ad reddendum Deo, tanquam rerum omnium principio, cultum debitum.

Dicitur *moralis* et non *theologica*, quia non habet pro objecto immediato ipsum Deum, sicut fides, spes et charitas, sed cultum ei exhibendum. Attamen inter virtutes morales primum tenet locum, juxta omnes, quia propinquius accedit ad Deum et ipsius objectum est excellentius. Plures præcipit actus tum internos, tum externos, ad Deum honorandum idoneos, et prohibet vitia sibi opposita. Itaque dicemus 1° de actibus virtutis religionis, et 2° de vitiis ei oppositis.

§ I. — De actibus virtutis religionis.

Omnes actus boni possunt imperari et sæpius imperantur virtute religionis, quia ad Dei cultum et honorem dirigi queunt. Sequentes autem, cum nullo alio mediante habitu producantur, sunt actus religionis elicit, sive stricte, ut devotio, sive latiori sensu, ut oratio, adoratio, sacrificium, oblationes, decimæ, votum, juramentum et quorundam dierum sanctificatio, quæ omnia ex natura sua subjectionem nostram erga Deum testificantur. De voto, juramento et quorundam dierum sanctificatione ad secundum et tertium Decalogi præceptum dicemus: de sacrificio sufficienter diximus in Tractatu de *Eucharistia*. Nunc vero de cæteris religionis actibus.

Punctum primum. — De devotione.

Devotio, a verbo *deovere* ortum habens, definitur a *S. Th.*, 2 2, q. 82, art. 1: *Voluntas prompte tradendi se ad ea quæ pertinent ad Dei famulatum.* « Unde, inquit » *S. doctor*, devoti dicuntur qui seipsos quodam modo » Deo devovent, ut ei se totaliter subdant. Sic apud gentiles devoti vocabantur qui seipsos idolis devovebant in » mortem pro sui salute exercitus. »

Devotio igitur non consistit in quibusdam transitoriis religionis actibus etiam cum alacri fervore elicitis, nec in sensibili gustu pietatis, nec in eis invenitur qui tepide Deo serviunt, etsi omnibus renuntiaverint ut famulatu ei jus se mancipient; importat enim promptam et fixam volunta-

tis dispositionem quæ sine sensibili gustu subsistere potest. Qui Sanctis in genere vel in specie se devovent, actum religionis exercent, quatenus hunc cultum referunt ad Deum in Sanctis suis mirabiliter relucentem; qui vero principibus, dominis temporalibus vel parentibus se devovent, actum fidelitatis aut pietatis filialis exercent, non autem proprie actum religionis, nisi ex motivo supernaturali et propter Deum hoc faciant.

Duplex est causa devotionis, juxta *S. Th.*, una extrinseca et principalis, quæ est Deus dona sua prout vult unicuique distribuens; et altera intrinseca, scilicet contemplatio bonitatis divinæ et ejus beneficiorum; unde nascitur dilectio quæ est proxima devotionis causa, et consideratio propriorum defectuum quæ nos conducit ad dicendum cum Psalmista, Ps. cxx, 1: *Levavi oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

Tria hic monet *S. Th.*, 1° vitandum esse genus meditationum quæ intellectum ita occupant ut voluntatem reddant aridam; 2° licet « ea quæ sunt divinitatis sint secunda » dum se maxime excitantia ad devotionem, » ut ait *S. doctor*, potius tamen iis inhærendum esse quæ ad Christi humanitatem pertinent, ut dum *visibiliter Deum cognoscimus, per hunc in invisibilium amorem rapiamur*; quæ verba Præfationis de Nativitate Domini citantur a *S. Th.* Unde *Sylvius*, t. 3: « Observent, qui patres spirituales vocantur, » ut suos clientes, præsertim autem feminei sexus, assue- » faciant meditari quæ Christus pro nobis fecit et passus » est, potius quam sublimia divinitatis mysteria; » 3° scientiam et ingenium sæpe devotionem occasionaliter impedire, quia homo nimis confidens de seipso non totaliter se Deo subdit, et ideo devotio in simplicibus et mulieribus magis abundat quam in doctis. « Si tamen scientiam et » quæcumque aliam perfectionem homo perfecte sub- » dat, ex hoc ipso devotio augetur, » 2 2, q. 82, art. 3, ad 3.

Punctum secundum. — De oratione.

Tripliciter considerari potest: generalissime, pro quoli-

libet bono opere; quo sensu venerabilis *Beda* explicat verba Christi: *Oportet semper orare et non deficere*, Luc. XVIII, 1; generaliter, pro omni laude Dei, gratiarum actione et petitione, ac specialiter pro sola petitione a Deo, et a *S. Th.*, 2 2, q. 83, art. 1, post *S. Joannem Damascenum*, definitur: *Petitio decentium a Deo*.

Dividitur in mentalem et vocalem. Oratio *mentalis* sola mente formatur ac exercetur, et *vocalis* vocibus exprimitur, sed internum piisque desiderium supponit, alioquin esset actus hypocrisis, et non oratio; unde Christus ad Scribas et Phariseos: *Hypocritæ, bene prophetavit de vobis Isaias, dicens: Populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est a me*, Matth. xv, 7.

Oratio vocalis dividitur in publicam, de qua locuti sumus, agendo de Horis canonicis in Tractatu *de Ordine*; et in privatam, de qua nunc simul ac de oratione mentali seu de oratione privata in genere tractandum, et dicemus paucis verbis 1° de ejus necessitate, 2° de ejus conditionibus, 3° de ejus objecto, 4° de ejus materia, 5° de ejus fine, et 6° de Oratione Dominica.

De orationis necessitate.

1° Plures necessitatem vel etiam convenientiam orationis negaverunt, ut Epicurei, qui influxum divinæ Providentiæ in res humanas negabant; Fatalistæ, omnia ex inexorabili fato pendere volentes; ad quos referri deberent Wiclefistæ, Lutherani, Calvinistæ et Janseniani, veram electionis libertatem hominibus negantes, si principiis suis rigorose starent. Messaliani, de quibus *S. Aug.*, Hæresi 57, in contrarium errabant, dicentes ab oratione nunquam cessandum esse, et monachis non licere aliquid operari, ne vitæ quidem suæ sustentandæ causa. Habiti sunt ut hæretici sub nomine *Euchitarum*. *Molinos* contendebat non convenire ut homo, divinæ voluntati perfecte resignatus, aliquid petat a Deo, quia petere est imperfectio.

2° Catholici, contra, unanimiter tenent orationem non esse tantum convenientem, sed necessariam necessitate præ-

cepti divini, et communiter necessitate mediæ; idque probatur 1° *Scriptura sacra* in multis locis, v. g., Matth. xxvi, 41: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem*; Luc. xviii, 1: *Oportet semper orare, et non deficere*; I Thess. v, 17: *Sine intermissione orate*; I Tim. ii, 8 et 9: *Volo ergo viros orare in omni loco.... similiter et mulieres in habitu ornato cum verecundia*. 2° *Ex SS. Patribus*, qui sunt unanimes: sufficiat sequens *S. Aug.* testimonium allegare, l. de *Dono persever.*, cap. 16, n. 39: « Cum constet » alia Deum danda non orantibus, sicut initium fidei, alia » non nisi orantibus præparasse, sicut usque in finem » perseverantiam. » 3° *Ex consensu omnium doctorum*, qui contendunt orationem in genere, sive vocalem, sive mentalem tantum, esse necessariam ad salutem necessitate mediæ, saltem communiter; quia licet Deus multa non rogantibus concedat, multa etiam ad salutem necessaria non nisi rogantibus concedere statuit. Unde Christus, Luc. ii, 9: *Petite, et dabitur vobis*; et Joan. xvi, 24: *Petite, et accipietis*; quasi dixisset: Si non petieritis, non dabitur vobis, non accipietis. Idcirco B. Jacob. iv, 2: *Non habetis, propter quod non postulatis*. Ergo.

Hinc patet dari præceptum naturale orandi; est etiam præceptum ecclesiasticum obligans fideles saltem diebus dominicis et festivis, de quo nunc non agimus.

3° Hoc autem præceptum est affirmativum, ac proinde obligat quidem semper, sed non pro semper, adeo ut singulis momentis orare teneamur; sensus igitur verborum, *Oportet semper orare, et non deficere*, et, *Sine intermissione orate*, est, quod semper orandum sit tempore opportuno, præcepto urgente, et nunquam cessandum est tædio vel desperatione.

4° Oratio mentalis, seu meditatio in genere, consistens in studiosa investigatione eorum quæ ad salutem requiruntur, necessaria videtur cunctis fidelibus adultis etiam necessitate mediæ; sine hujusmodi enim meditatione homo non cognoscet animæ suæ plagas, intellectus sui tenebras, cordis infirmitatem, naturæ corruptionem, æternæ damnationis pericula atque media naufragium vitandi; atta-

men necesse est ut hæc cognoscat. Ergo. Verum meditatio, quoad methodum determinatam facta, prout fieri solet in seminariis et aliis communitatibus religiosis, est utilis et valde commendanda, sed ad salutem non necessaria, quia nulla lege est omnibus præscripta.

Licet oratio mentalis et meditatio in consueto loquendi modo promiscue sumantur, plurimum tamen inter se differunt. Meditatio enim exercet intellectum, et oratio respicit ad voluntatem cujus est actus : sæpe indiget meditatione, ea adjuvatur, sed cum illa non est confundenda.

5^o Orationis triplex est effectus, scilicet meritum quod acquirit orans, satisfactio pro peccatis propriis vel alienis, quia omnis actus pœnalis ex motivo supernaturali exercitus est satisfactorius, et impetratio; Deus enim, qui fidelis est, *negare seipsum non potest*, ut ait Apostolus, 1 Tim. II, 13 : at promisit quod invocantes se exauditurus esset : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis*, Joan. XVI, 23, et sic in pluribus aliis locis. Certum est ergo et de fide orationem legitime factam suum effectum infallibiliter obtinere; sed quædam essentialiter requiruntur conditiones, *ut ex mox dicendis patebit*.

De conditionibus ad orationem requisitis.

Ad infallibilem orationis effectum quatuor requiruntur conditiones apud Collet et Ferraris convenienter expositæ, videlicet ut quis petat, 1^o pro se, 2^o ad salutem conducentia, 3^o pie, et 4^o perseveranter.

Requiritur ut patet pro se. Christus enim non absolute dicit : *Quidquid petieritis concedetur, sed, dabit vobis* : quod optime notat S. Aug., Tractatu 102 in Joan., dicens : « Exaudiuntur omnes Sancti pro seipsis, non autem pro omnibus exaudiuntur vel amicis, vel inimicis » suis, vel quibuslibet aliis; quia non utcumque dictum est, *dabit, sed dabit vobis.* » Ita post S. Aug., S. Th. et multi alii. Suarez, de Relig., t. 2, pag. 67, hanc rejicit conditionem, et dicit promissionem Christi esse absolutam. Juxta omnes, ex charitate et sæpe ex justitia orare

debemus pro aliis, juxta S. Jacob. V, 16 : verba : *Orate pro invicem ut salvemini; multum enim valet deprecatio justi assidua*; sed eandem habere non possumus fiduciam ac dum oramus pro nobis, quia fieri potest ut alii pro quibus oramus male sint dispositi, et non pendet a nobis meliores dispositiones in eis creare. Verum, ex hypothese quod alii recte sint dispositi, et oratio nostra pro iis oblata debitis conditionibus sit vestita, infallibiliter erit impetratoria. Ita Layman, Collet, Ferraris et alii plures.

2^o *Ut petat conducentia ad salutem*, nimirum necessaria aut saltem utilia; Christus enim promittens orationes nostras exaudiendas fore, dixit : *Si quid petieritis Patrem in nomine meo*. Porro qui peteret quædam ad salutem non conducentia, certe ea petere non posset in nomine Christi, Salvatoris nostri, cujus voluntas est sanctificatio nostra. Ergo. Unde S. Aug. dicit, in loco citato, « non peti » in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem » salutis. » Hinc qui aliquid mali, etiam in materia levi, a Deo petere auderet, mortaliter peccaret, propter gravitatem injuriæ quam ei inferret. Ita Suarez, de Oratione, l. 1, cap. 23, n. 4, qui, n. 5, asserens petere rem indifferentem esse peccatum, non audet definire an illud sit mortale vel veniale.

3^o *Ut pie petat*; id est, cum fide, ut ait B. Jacob. I, 6 : *Postulet autem in fide nihil hæsitans : qui enim hæsitat, similis est fluctui maris qui a vento movetur et circumfertur. Non ergo cæstimet homo ille quod accipiat aliquid a Domino; et cum plena fiducia, juxta sequentia B. Pauli verba, Hebr. IV, 16 : Adeamus ergo cum fiducia ad thronum misericordiæ, ut gratiam consequamur et misericordiam inveniamus in auxilio opportuno. Et hæc fundantur in ipsius Christi verbis, Matth. XXI, 22 : Omnia quæcumque petieritis in oratione credentes, accipietis. Non necesse est tamen hominem fide divina credere se hoc vel illud in particulari certo obtenturum esse, quia, seclusa speciali revelatione, certo scire non potest an conditiones requisitæ debito modo adimpletæ fuerint, vel non, nec etiam an bonum a Deo pe-*

titum sit revera sibi utilius in ordine ad salutem : objectum igitur tantæ fiduciæ quam habere tenetur est certitudo effectum orationis suæ obtinendi, supposito quod fideliter adimpleat conditiones a Deo præscriptas et gratiam sibi utiliore postulet.

Hæc conditio supponit etiam humilitatem, fervorem, attentionem et intentionem, de quibus diximus ubi de Officio divino.

4^o *Ut petat perseveranter.* Deus quippe asserens se orationes nostras debite factas exauditurum, non promisit se id facturum prima, secunda, tertia vice, etc. Quandoque in exordio precum exaudit; at sæpe contingit ut statim non exaudiat, sed effectum diu protrahat, volens illum perseverantibus concedere, et non perseverantibus negare : quod Christus duplici exemplo confirmat, uno viduæ quæ per importunas preces duritiam iudicis iniqui superavit, et altero hominis qui, *propter improbitatem*, obtinuit a vicino panes sibi necessarios. Eo igitur sensu accipi etiam possunt verba Christi : *Oportet semper orare, et non deficere.* Luc. XVIII, 1.

Quia ergo effectum orationis etiam sæpe repetitæ non obtinuimus, dicere non licet Deum promissis defuisse, aut vanam esse orationem : potius nobis memoranda sunt verba B. Jacobi dicentis, IV, 3 : *Petitis, et non accipitis, eo quod male petatis*; aut ea S. Basilii, serm. de Orando Deum : « Ideo quando petis et non accipis, est quia peram postulasti, vel infideliter, vel leviter, vel non con-ferentia tibi, vel destitisti. »

Ipsi peccatores, si, adhibitis præcedentibus conditionibus, orent, infallibiliter exaudientur, ut communiter docent auctores, cum S. Th., 2 2, q. 83, art. 16; nam, ut ait S. Aug., Tract. in Joan. 44, n. 13 : « Si enim peccatores res Deus non exaudiret, frustra ille publicanus, oculos in terram dimittens et pectus suum percutiens, diceret : *Domine, propitius esto mihi peccatori.* » Et ratio est, quia effectus orationis non nititur statu gratiæ, sed liberali promissione Dei, qui pius et misericors est erga bonos et malos invocantes se.

De orationis objecto, seu de iis qui invocari possunt.

1^o Certum est Deum invocari posse tanquam omnium honorum causam ac fontem, et eum solum eo sensu sic invocandum esse, quia tale orationis genus ad cultum patriæ pertinet; at solus Deus cultu patriæ honorandus est. Nomine Dei intelligitur etiam Christus, qui est simul Deus et homo.

2^o Licet orare homines adhuc viventes ut pro nobis apud Deum intercedant; Judæi enim in Babylone captivi fratres suos in Hierosolymis exstantes sic obsecrabant, Baruch, 1, 13 : *Et pro nobis ipsis orate ad Dominum Deum nostrum, quia peccavimus*; et B. Paulus, I Thess. II, 1 : *De cætero, fratres, orate pro nobis, ut sermo Dei currat et clarificetur sicut et apud nos, etc.*

3^o Constat, ex dictis ad calcem Tractatus de Incarnatione, licitum esse invocare B. Mariam Virginem, Angelos et Sanctos in cælo regnantes, non tanquam gratiæ aliorumve donorum auctores, sed ut nostros apud Deum intercessores.

4^o Infantes baptizati et ante usum rationis defuncti, et adulti de quorum glorificatione moraliter constat, invocari possunt privatim, quia certum est eos regnare cum Christo; sed cultu publico honorari et invocari non possunt : talis quippe cultus nulli potest exhiberi sine decreto Ecclesiæ eum approbantis.

5^o Plures negant justos in purgatorio detentos utiliter invocari posse, quia, ut ait S. Th., 2 2, q. 83, art. 11, ad 3, *non sunt in statu orandi, sed magis ut oretur pro iis.* Alii tamen, ut Lessius, Layman, Bonacina, Sylvius, Bellarminus, etc., affirmant, quia non repugnat eos qui precibus nostris indigent, posse pro nobis utiliter orare, sicut viventes pro se invicem utiliter orant, licet indigeant ut pro ipsis oretur : ruit ergo fundamentum quo alterius sententiæ patroni nituntur. Hæc opinio evasit communis Romæ.

De materia orationis, seu de iis quæ peti possunt.

1^o Quietistæ docuerunt nihil determinate a Deo peten-

dum esse, sed omnia, siue pro tempore, siue pro æternitate, voluntati ejus remittenda esse. Illorum errores constitutionibus Innocentii XI et Innocentii XII contra *Molinos* et librum *D. de Fénelon* damnati sunt.

2^o Bona spiritualia, scilicet gratia, sanctificatio, in tentationibus victoria, beatitudo æterna, determinate et absolute peti possunt ac debent; eo modo enim orandum est quo sancti viri utriusque Testamenti oraverunt: at sancti utriusque Testamenti multa determinate et absolute petierunt a Deo, v. g.: *Unam petii a Domino: hanc requiram ut inhabitem in domo Domini*, Ps. xxvi. 4: et petitiones in Oratione Dominica contentæ, sunt determinatæ et absolutæ. Ergo.

3^o Bona quibus abuti possumus, ut divitiæ, honores, fructus agrorum, bona navigatio, sanitas, scientia, etc., licite petuntur, quia ad bonum finem dirigi possunt; sed ordinarie non nisi conditionate petenda sunt; sæpe enim non expedit ut nobis concedantur: ea igitur postulando communiter subintelligere debemus conditionem Deo notam, videlicet, si hæc salutis nostræ non futura sint noxia. Videtur bona ad vitam necessaria absolute peti posse tanquam media ad finem nostrum conducentia. Cæterum, bona temporalia absolute petere, vel petere ob finem venialiter tantum malum non videtur peccatum mortale; secus, si peterentur ob finem graviter malum.

4^o Mala temporalia, quæ scilicet non sunt peccata, sed pœnæ, ut infirmitates, paupertas, humiliaiones, licite peti possunt ex recto fine, nempe ad tentationes superandas, virtutes colendas et merita acquirenda. Hoc per se patet et ab omnibus admittitur.

De iis pro quibus orandum est.

1^o Orare debemus non solum pro nobismetipsis, sed pro omnibus hominibus, justis, injustis, sceleratis, peccatoribus, infidelibus, hæreticis, schismaticis, excommunicatis; et hoc constat 1^o ex verbis B. Pauli, I Tim. II, 1: *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postu-*

lationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt... Hoc enim bonum est et acceptum coram Salvatore nostro Deo; 2^o ex consensu omnium doctorum et praxi Ecclesiæ, quæ signanter in feria sexta Majoris hebdomadæ pro omnibus ordinibus specialiter rogat.

2^o In orationibus nostris idem servandus est ordo personarum quem supra statuimus pro operibus charitatis, et orandum est etiam pro inimicis, juxta hæc Christi verba, Matth. v, 44: *Orate pro persequentibus et calumniantibus vos*; id est, ut *S. Th.* alique theologi interpretantur, inimici excludi non debent a communibus orationibus quas pro congregatione, cujus sunt membra, fundimus, et a fortiori non a precibus pro omnibus factis.

3^o Orandum est pro animabus in purgatorio detentis; de fide erant enim, ut in Tractatu de *Pœnitentia* ostendimus, eas vehementer torqueri et suffragiis fidelium adjuvari posse: at certe charitas non sinit nos manere indifferentes circa tantas fratrum nostrorum necessitates quibus subvenire valemus: ergo.

4^o Illicitum est orare pro Beatorum salute, vel pro aliqua eorum satisfactione, cum certum sit eos de salute esse securos et nihil justitiæ Dei exsolvendum habere. Unde *S. Aug.*, Sermon. 15 de verbis Apostoli: « Injuria est pro martyre orare, cujus nos debemus orationibus commendari. » Sed *Suarez*, de Orat., l. 1, c. 14, n. 3 et 4, et plures cum illo arbitrantur sanctos in cælo regnantes augmentationem gloriæ accidentalis, videlicet novos gradus amoris vel gloriæ, aut aliquod extrinsecum bonum charitatis apud alios homines acquirere posse, ac consequenter licitum esse hanc beatitudinis augmentationem pro illis orare. Hanc sententiam refert et approbare videtur Innocentius III, in Decretal. l. 3, tit. 41, cap. 6, § 3, dicens: « Quod in plerisque orationibus continetur: Prosit vel proficiat huic Sancto, vel illi talis oblatio ad gloriam et honorem: ita debet intelligi, ut ad hoc prosit quod magis ac magis a fidelibus glorificetur in terris; licet plerique reputent non indignum sanctorum gloriam usque ad

» iudicium augmentari, et ideo Ecclesiam interim sane » posse augmentum glorificationis eorum optare. »

5^o Orare non licet pro dæmonibus et damnatis; illicitum quippe est aliquid decreto Dei absoluto contrarium postulare, *ut patet*: at orare pro dæmonibus et damnatis, est aliquid decreto Dei absoluto contrarium postulare, siquidem de fide est pœnas dæmonum et damnatorum futuras esse æternas, ut ostenditur in Tractatu de Peccatis. Ergo.

Citatur quidem historia liberationis Trajani ab inferis, a Joanne diacono in Vita S. Gregorii Magni, l. 2, cap. 44, narrata, a S. Th., Suppl., q. 73, art. 5 ad 5, admissa, a Græcis in Euchologio inserta, sanctæ Brigittæ et S. Mechthildi revelata. Verum *Natalis Alexander, Collet, Billuart* et alii demonstrant hanc historiam esse apocrypham, et, ea supposita vera, dicendum foret cum S. Th. vel Trajanum a mortuis suprema Dei potentia suscitatum, pœnitentiam egisse, sicque salutem consecutum esse, vel ipsius pœnam fuisse tantum usque ad diem iudicii suspensam.

De Oratione Dominica.

1^o Hæc oratio appellatur *Dominica*, quia ab ipso Christo Domino nobis tradita est; omnes alias orationes vocales sextuplici modo præsertim antecellit, videlicet 1^o origine, cum ab ipso Filio Dei homine facto procedat; 2^o brevitate, siquidem omnia a Deo petenda paucis verbis exprimit, et simul docet quid agere, fugere, credere et amare debeamus: unde *Tertull.*, l. de oratione, cap. 2, eam vocat *Breviarium totius Evangelii*; 3^o ordine; in ea enim ponuntur ordine perfectissimo quæ desiderare debemus, gloria Dei, regnum ejus et media ad illud perveniendi; 4^o efficacia; cum eam recitando ipsius Christi verbis utamur, quod in nulla alia oratione locum habet; 5^o necessitate; omnes quippe eam scire et frequenter recitare tenentur, ut constat tum ex verbis Christi dicentis: *Sic orabitis*, tum ex traditione Apostolica, ut patet ex Constit. Apostolorum, l. 7, can. 25, tum ex praxi fidelium et consensu doctorum.

« Qui ex contemptu vel supina negligentia eam ignorant, » peccati mortalis reatum non effugiunt, » inquit *Sylvius*, t. 3. Secluso igitur contemptu et gravi negligentia, peccatum est duntaxat veniale; 6^o exercitio virtutum, scilicet fidei, spei, charitatis, humilitatis, obedientiæ, perfectæ conformitatis divinæ voluntati, *ut ex dicendis patet*.

2^o Orationem Dominicam explicaverunt *Tertull.*, l. de Oratione; *S. Cyprianus*, l. de Oratione Dom.; *S. Cyrillus Hierosol.*, Catech. mystag., 6; *S. Chrysost.*, homilia de Oratione Dominica; *S. Hieronymus, Theoph., Euthemius, Suarez, Sylvius, Dens*, etc. Habet præambulum, *Pater noster qui es in cœlis*, breve, sed sublime, Deo et hominibus dignum. Deus vocatur Pater ratione creationis, gubernationis, redemptionis, regenerationis et adoptionis eorum qui sanctificantur et ad gloriam destinantur, a tque merito dicuntur filii ejus et hæredes. Vox autem ista non ad primam personam tantum dirigitur, sed ad Deum simpliciter, et nata est excitare in nobis affectum filialem, fiduciam, obedientiam ac reverentiam. Dicimus *Pater noster*, et non *Pater mi*, quia sumus omnes fratres et in communi pro omnibus oramus. Dicendo, *qui es in cœlis*, profitemur nos credere Deum speciali ratione esse in cœlis, ibi majestatem suam exprimere, gloriam nobis præparare, et mentes nostras a terrenis ad cœlestia erigimus.

3^o Post præambulum septem communiter numerantur petitiones quarum sensus breviter assignabimus: 1^o *Sanctificetur nomen tuum*; id est, a nobis et ab omnibus, in nobis et in omnibus agnoscatur, honoretur et glorificetur. Discamus igitur primum et ante omnia quærendam esse gloriam Dei. 2^o *Adveniat regnum tuum*. Hac petitione testamur Deo nos desiderare ut in mentibus nostris regnet per gratiam, manifestet suam gloriam, et adveniat tempus in quo, omnibus inimicis ejus subactis, solus cum electis suis regnabit, videlicet post ultimum iudicium, et nos cum ipso conregnabimus. 3^o *Fiat voluntas tua sicut in cœlo et in terra*. Omnia in cœlo divinæ voluntati perfecte uniuntur, et ideo nulla est inordinatio: petimus ut talis submissio et

obedientia divinæ voluntati ac proinde perfecta ordinatio sit pariter in terra. 4° *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.* Nomine panis intelligitur, per synecdochen, ut bene advertit *Sylvius*, t. 3, cibus, potus, vestitus, habitatio, defensio, et quidquid ad vitam corporalem pertinet, ipsamet vita, ejus integritas, etc. Panis ille vocatur etiam supersubstantialis, quia substantiæ seu naturæ nostræ superadditur, et petimus illum dari nobis hodie, id est ipsomet die rogationis, quia illo quotidie indigemus et idcirco appellatur quotidianus. Plurimi volunt per hunc panem intelligendam esse sacram Eucharistiam et alia bona spiritualia quæ merito dici possunt supersubstantialia. Prior sensus est communior et naturalior videtur; uterque tamen simul admitti potest. 5° *Et dimitte nobis debita nostra* (et apud *Lucam*, xi, 4, *Dimitte peccata nostra*), *sicut et nos*, etc. Omnes enim, etiam justî, habent peccata, sive actualia, sive præterita, saltem venialia, quorum per totam vitam petere debent condonationem: sed conditio a Deo apposita est ut ipsi remittamus sincere et ex corde offensas nobis illatas. Hinc qui se offendenti plene condonare non vult, seipsum condemnat Orationem Dominicam recitando. 6° *Et ne nos inducas in tentationem.* Tentatio ad peccatum, de qua sola hic agitur, potest oriri vel a diabolo, vel a mundo, vel a carne, et fieri per prosperitates, vel per adversitates, vel alio multiplici modo: eam vincere non possumus absque gratia: hac igitur petitione postulamus a Deo ut non permittat nos tentari, vel ut auxilio opportuno nos a peccato custodiat. 7° *Sed libera nos a malo*, id est ab omni re mala, v. g., ab ignorantia aliisque animi defectibus, a peste, fame, siti, morbis, pœnis, calamitatibus et ab universis omnino malis. Additur *Amen*, quasi diceretur: *Fiat, fiat*; et est expressio iterata affectus mentis ad præcedentes petitiones.

De orationibus matutinis et vespertinis.

1° Constat, ex superius dictis, nos præcepto naturali et divino teneri frequenter orare. Præceptum istud obligat,

1° in initio usus rationis; 2° in periculo mortis; 3° in gravi necessitate, præsertim spirituali, sive nostra, sive proximi, proindeque Ecclesiæ et reipublicæ. Sed nulla existit lex positiva, sive divina, sive ecclesiastica, certas determinans preces ab omnibus Christianis singulis diebus recitandas. Quisquis fidelis, curam propriæ salutis habens, ad Deum sæpissime recurrit per orationem, modo mentalem, modo vocalem, modo jaculatoriam, modo longiorem, et qui per longum tempus ab omni oratione abstineret, a gravi peccato excusari non posset: qui in aliqua versatur necessitate divinum auxilium obtinendi pro seipso, vel pro fratre periclitante, statim orare tenetur.

2° Quamvis nulla assignari possit lex scripta orationes matutinas et vespertinas præscribens, datur tamen obligatio sic orandi; nam consuetudo generalis aliquem faciendi ritum, cum persuasionem illum obligare, est, juxta omnes, argumentum existentiae legis: atqui omnes vere fideles Deum mane et vespere orare solent; in omnibus catechismis et libellis precum ad usum fidelium factis reperiuntur formulæ orationis matutinæ et vespertinæ, modus sic orandi præscribitur vel saltem ut praxis vitæ Christianæ essentialis traditur, et fideles generaliter persuasum habent se ad hunc ritum teneri, nisi aliqua legitima causa excusantur. « Et mane orandum est, aiebat *S. Cyrillus*... ac » die cessante necessario rursus orandum est. »

Verum obligatio singulis diebus orandi, mane et vespere, est tantum sub levi et omnes sic apprehendunt. Unde levis causa ab ea excusat; et cum situs corporis non sit determinatus, qui aliter orare non potest quam in lecto, ut nunc sæpe milites, præcepto orandi satisfacit. Qui autem orationes matutinas et vespertinas frequenter sine causa penitus omittit, absolute indignus videtur, nisi promittat se deinceps huic vitæ Christianæ muneri non ita defuturum; tum quia valde probabiliter magno orandi præcepto non satisfaceret, tum quia talis omissio signum esset magni torporis animi.

Quod de orationibus matutinis et vespertinis dicitur, a fortiori dicendum est de orationibus ante et post refectio-

nem solitis, quæ, licet antiquissimæ et apud Christianos usitatissimæ, non tamen per se obligant saltem sub gravi; ac proinde non sunt inquietandi laici qui eas omittunt secluso speciali scandalo. Dicimus *laici*, quia vix concipitur clericos eas omittere posse sine scandalo, nisi ex pura inadvertentia id aliquando contingat.

Panetum tertium. — *De adoratione.*

1^o Adoratio, a præpositione *ad* et verbo *oro* veniens, juxta plures, est actus quo quis propriam submissionem alteri exhibet, in testificationem ipsius excellentiæ. Alterius autem excellentia potest esse naturalis humana, ut dignitas principum, superiorum, doctorum; vel supernaturalis creata, qualis est excellentia Sanctorum et Angelorum; vel divina. Unde distinguitur 1^o adoratio civilis, quæ exhibetur regibus, principibus aliisque in dignitate constitutis, ut David, I Reg, xx, 41, *pronus in terram, adoravit tertio* Jonatham, et sic cardinales adorant Papam post ipsius electionem; 2^o adoratio dulciæ, quæ exhibetur Sanctis et Angelis; 3^o adoratio hyperdulciæ, quæ beatissimæ Mariæ Virgini propria est, ratione tituli divinæ maternitatis quo honoratur; et 4^o adoratio latriæ, quæ soli Deo exhiberi potest.

2^o Adoratio, secundum se, actum corporalem non importat; nam Angeli, qui sunt incorporei, Deum adorant, et nos illum sola mente adorare possumus, quamvis hæc adoratio non sufficiat; quia, cum ex duplici natura simus compositi, exhibere debemus Deo submissionem mentis per actus internos, et corporis per actus externos.

3^o Quoniam vero actus externi similes exhiberi possunt Deo et creaturis, quæ tamen eodem cultu adorari nequeunt, natura hujusmodi actuum ex intentione adorantis determinatur. Unde si exhibeantur Deo, ad cultum latriæ pertinebunt; si exhibeantur B. Mariæ, ad cultum hyperdulciæ; si exhibeantur Sanctis vel Angelis, ad cultum dulciæ; si hominibus, ad cultum civilem.

4^o Ut omnis tolleretur æquivocatio, usus invaluit ut so-

lus cultus Deo exhibitus proprie vocaretur, communiter, *adoratio*.

5^o Judæi, in veteri Lege, adorabant ad occidentem in odium multorum gentilium qui, præ reverentia solis, adorabant ad orientem: nos autem, ex quadam decertia, periculo idololatriæ non amplius existente, adoramus ad orientem, id est ecclesiæ nostræ versæ sunt ad orientem, ut in Tractatu *de Eucharistia* ostendimus.

Punctum quartum. — *De oblationibus, primitiis et decimis.*

De oblationibus.

1^o Oblationes stricte sumptæ sunt res quas fideles intuitu religionis immediate offerunt Deo, ut in usum Ecclesiæ vel ministrorum cedant. Tres distinguuntur oblationum species: donatio inter vivos; donatio testamentaria, v. g. pro anniversariis celebrandis; et donatio usualis, id est, actualis et manualis donatio rerum in usum Ecclesiæ vel ministrorum cedentium, idque ex motivo religionis, ad placendum Deo eique servendum.

2^o Usus oblationum est antiquissimus et ad originem mundi ascendit, videmus enim in Genesi, iv, 3 et 4, Cain et Abel munera offerentes, unum de fructibus terræ, alterum de primogenitis gregis sui; deinde Noe, arca egressum, ibid. viii, 20, qui *de cunctis pecoribus et volucris mundis obtulit holocausta super altare*; et in Num. vii, multas videmus oblationes in dedicatione tabernaculi, et sæpe sæpius aliis temporibus, ut patet ex toto Veteri Testamento.

3^o In nova Lege mos fuit, etiam ab illius exordio, offerendi in altari vel in ecclesia tempore missæ panem, vinum, oleum, ceram, etc., ut ostendimus in Tractatu *de Eucharistia*, et nunc plures fieri solent oblationes, v. g., occasione Baptismi, benedictionis mulieris post partum, etc.

4^o Oblationes non debentur ex præcepto, inquit *Ferraris* cum multis aliis, nisi in quadruplici casu, videlicet 1^o si per modum census vel pensionis datæ fuerint, aut si exis-